

P V I S

1 6 1 8



- I. Caroli de Casu Mirabili ad Academiās.
- II. Simonis Stenii Dialogi duo Græcè conscripti.
- III. Oræes duæ: una de Consensu Theologiae Lutheri cum Cetera Epicuri, Hungeri Pontifici: altera Schilteri prioris Apologiam continens.
- IV. Petri treser de Peccato Originali.
- V. Samuelis Porisii de Invidia.
- VI. Orationes Septem à Johanne Plessingero et Henrico Salmutho in commendatæ Rectorum Lipsiensium habita.
- VII. Oratio Funeris de Augusto Saxonia Electore, Furmani.
- VIII. Oratio de Vita Christiana.
- IX. Oratio Chrysostomi de Exortio Viri Latine recitata.
- X. Davidis Viti de Justitia et Bonis Operibus.
- XI. Oratio Auleantia, quæ ad Mtra. Fruchum lecta est Auditoribus.
- XII. Tossam treser de Pelagianismo.
- XIII. Celsii oratio in actu Magistrum habita.
- XIV. Futtleri Laudatio Funeris Christiani II. Electoris Saxoniae.
- XV. Epopsii Synopsis Mythica de Comœdiae Historica.
- XVI. Viti Vituperatio et Laudatio Cetera.
- XVII. Indicius sicut Conjugis D. Tassenbreyer.
- XVIII. Oratio M. Aemilii Porti in Actu Magistrum.
- XIX. De studiis Tevitarum Abstrusioribus.
- XX. Gediis Defensio Sexus Mulieris.
- XXI. Hoffneri Oratio Funeris Lysero dicta.
- XXII. Chytræ de Pœtâ Trinni Tranallitæ.

EX LIBRIS  
 ILLVSTRISSIMI VIRI,  
 DN. DAN. LVDOLPHI,  
 LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
 S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
 STATUS INTIMI, cetera,  
 BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
 TESTAMENTO RELICTIS,

N 34



19  
XX  
DEFENSIO  
sexus muliebris,

OPPOSITA FV-  
TILISSIMÆ DISPVTA-  
TIONI RECENS EDITÆ, QVA  
suppresso authoris & typographi nomine,  
blasphemè contenditur,

Mulieres homines non esse.

SIMON GEDICCVS  
*Sacrosanctæ Theol. Doct. &c.*



Lipsiæ,

IMPRIMEBAT MICHAEL  
LANTZENBERGER.

20



2





ILLVSTRISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,

D N.

Ioachimo Fridericho,  
POSTVLATO PRIMATVS ET  
ARCHIEPISCOPATVS MAGDEBVR-  
gici Administratori, Marchioni Brandenburgensi,  
Boruffiæ, Stetini, Pomeraniæ, Caffubiorum &  
Vandalorum, ac in Silesia Croffæ Duci, Burg-  
grafio Noribergensi, Principi Rugiæ,  
Domino suo clementiffimo:

E T

REVERENDIS, ILLV-  
STRIBVS, INCLYTIS, GENERO-  
fis, Magnificis, Spectabilibus, Nobiliffimis, am-  
pliffimis & prudentiffimis viris, STATVVM omnium  
Diœcefeos Magdeburgensis Proceribus, Ducalibus &  
Archiepifcopalibus Confiliarijs, Dominis & Pa-  
tronis fuis honorandis, gratiam & pa-  
cem in DOMINO.



ILLVSTRISIME  
*Princeps, Domine cle-  
mentiffime, Inclyti proce-  
res, atq; omnium ordinũ  
prestantiffimi viri, In  
hunc & uniuersos secutu-  
ros annos omnia faufta atq; fortunata Celf.*

A 2

&



## E P I S T O L A

4  
 Et M. V. ex animo precor, oroq; Filium  
 DE I Immanuelem, Δωτῆρα ἐδάων, ut vos  
 omnes quàm diutissimè incolumes ac floren-  
 tes conseruet, ad laudem Et gloriam san-  
 ctissimi nominis sui, Et sanctæ Ecclesiæ fru-  
 ctuosum patrocinium, Et Reipublicæ com-  
 moda atq; felicitatem. Sparsus est in exordio  
 huius anni libellus quidam famosus Et blas-  
 phemus, quo humana natura scæminei sexus  
 horrendum in modum impugnatur, sup-  
 presso authoris nomine, nec addito loco un-  
 de prodierit tam improbus fœtus, Et infelix  
 Satana propago. Cum autem boni Et intel-  
 ligentes viri mecum agerent, Et ego officij  
 mei esse iudicarem, ut noua istius Et planè  
 Diabolica disputationis refutationem ex  
 verbo DE I Et orthodoxa antiquitate con-  
 cinnarem, absolui hoc opusculum, in quo po-  
 situm studium meum, Et adhibitam dili-  
 gentiam atq; curam, non expertem me-  
 diocris, ut spero, industria, V. Excels. Et  
 M. dicandam subiectissima confidentia,  
 optima-



DEDICATORIA.

optimaq; spe putavi ; Quos scirem verita-  
 tem doctrinae coelestis unice amare, & om-  
 nes blasphemias calumniasq; mendacis spi-  
 ritus toto pectore auersari. Quod qui-  
 dem cum sit notissimum & publice pri-  
 uatimq; eius rei extent testimonia plurima,  
 non existimo opus esse, ut verbosius hoc loco  
 de eo agatur, ne in suspicionem assentatio-  
 nis, à qua semper abhorruì, veniam. Peto  
 autem qua par est subiectione atq; reueren-  
 tia, ut factum hoc meum clementissimè atq;  
 in optimam partem accipere, et me ac meos,  
 qui se in Clem. & M. V. clientelam tra-  
 dunt, commendatos habere non dedignemi-  
 ni. Idq; si à V. C. & M. (ut equidem non  
 dubito) impetrauero, magni id beneficij lo-  
 co & pro singulari felicitate sum habiturus.  
 Illustriss. clem. & M. V. cum suis omnibus  
 misericordi DEO supplice precatone com-  
 mendo, ad protegendum, defendendum,  
 conseruandum perpetuò benignitate respe-  
 ctus & salutis sempiternæ. Amen. Hale Sa-

A 3 xonum,



EPIST. DEDICAT.

6  
xonum, 10. Februarij, Anno salutis per  
CHRISTVM reparatæ 1595.

C. & M. V.

subiectis. &  
reuerenter colens

Simon Gediccus D. Pa-  
stor Ecclesiæ in illustr. au-  
la Magdeburgica.



CON-



CONFUTATIO SPUR-  
CISSIMI SCRIPTI, QVO

αἰώνιου Ⓞ scurra humanam naturam Fœ-  
minei sexus impugnat.

**H**RYSI P P V S virilem sexum sic veluti  
exornasse Naturam censuit, vt adiungeret  
muliebrem: quemadmodum pavoni ve-  
nustatem caudæ illa attribuerit. Præclarum scili-  
cet iudicium peruersè philosophantis, quasi ap-  
pendix sit Mulier, neq; ad societatem, vel potius  
perfectionem generis vitæque humanæ pertineat.  
Quæ ab hoc olim cum stolidè, tum falsò conficta  
sunt. Et Euripidea quadam contumelia hic sexus,  
tanquam pestis & lues addita generi humano, in-  
famatur, in necessitate propagandi illius molestus:  
*παν γδ ἀναγκαῖον χρεῖμ' ἀνηθρον ἔφου*, vt poëta quidam  
cecinit. Alij etsi non veluti detestantur sexum  
istum, tamen vix ac ne vix quidem hominis condi-  
tionem esse huius volunt. In quorum numero va-  
nissimus est Nugator, qui in exordio huius anni  
1595. *Ψευδικὸν λόγον* contra muliebrem sexum in  
lucem edidit.

Quæ quidem disputatio nouitate ipsa percel-  
luit animum meum, cum sit atrocissima, & planè  
Diabolica. Nam sexum muliebrem tam illoto  
sermone tanta proscindit acerbitate, tantis contu-  
melijs, tot conuitijs, tot rixis, tot iurgijs conspuit,  
colaphis & alapis cædit, contundit os, raptat ac  
versat, perinde quasi mancipium de lapide em-  
ptum. Scripsit animi gratia? Conueniebat in alio  
argumento videri velle festiuum. Ista linguæ cala-  
miq̄ue



miſque petulantia animaduersionem publicam merebatur. Sed audiemus nunc nouum disputatorem, eumq; diuina fauente gratia refutabimus.

D I S P U T A T.

*Ex Sacris literis probare poſſum, Mulierem non eſſe hominem.*

S. G E D I C C V S.

Et Sacrae & prophanae literae luculentiffimis testimonijs plenae sunt, quibus probari poteſt, Sexum foemineum hominum generi eſſe accenſendum.

D I S P U T A T.

*Neg, expreſſe neg, implicite Mulier homo in Scriptura perhibetur.*

S. G E D I C C V S.

Hos & ſimiles tuos fumos omnes facile diſcutit veritatis ſimplex ac dilucida narratio, quae habetur in veteri ac nouo Testamento. Nam creauit DEVS hominem in imagine ſua, in imagine inquam DEI creauit eos, marem & foeminam, vtrumque hominem, ſexto die. Ad vtrumq; etiam coniunctim pertinet benedictio propagationis. Non legiſtis, inquit DOMINVS, quia qui fecit ab initio hominem, masculum & foeminam fecit? Item vocauit nomen eorum HOMINEM, quo die creati ſunt. Item bello iuſſu DEI contra Midianitas geſto VIRGINES tantum ex HOMINIBVS ſeruantur. Agnoſce, ait Maccabea mater ad Filium, DEVM omnia feciſſe ex ijs quae non erant, & NOS HOMINES ita factos eſſe. Nonne haec ſunt clara & perſpicua diuini verbi testimonia? Deinde multae res in libris ſacris, quos excellenti nomine BIBLIA vocant,



vocant, comprehensæ continentur, licet nomina  
ipsa non extent, vt vocabula  $\tau\epsilon\lambda\acute{\alpha}\delta\theta$ ,  $\delta\acute{\omicron}\mu\omicron\sigma\iota\varsigma$ ,  
pædobaptismi, &c. Et dupliciter quid docetur in  
Scriptura, nimirum vel verbis præscriptis, vel per  
 $\iota\sigma\omicron\delta\omega\alpha\mu\acute{\iota}\alpha\varsigma$ . Hac ratione soluendi Arianorum pa-  
ralogismi de voce, TRINITAS, Sabellianorum de  
nomine, HYPOSTASIS, siue PERSONA, Arioma-  
nitarum de vocabulo,  $\omicron\upsilon\sigma\iota\alpha$  siue SUBSTANTIA,  
Aëtianorum,  $\omega\epsilon\iota$   $\delta\epsilon$   $\alpha\gamma\epsilon\eta\eta\eta\tau\omicron\upsilon$  καὶ  $\gamma\epsilon\eta\eta\eta$ -  
 $\tau\omicron\upsilon$ , cum quærent hæretici, extent ne hæc voca-  
bula in sacris literis. Solutio sophismatis est, quod  
cuius vocis significatio rectè alicui competit, ei-  
dem vox ipsa competit.

D I S P U T A T.

*Mulier dicitur adiutorium viri, seu causa pro-  
creationis instrumentalis. Vt autem malleus non faber,  
acus non est sartor, penna non est scriptor: Sic nec mu-  
lier homo.*

S. G E D I C C V S.

Spurcissima latrina, tun' audes sexum fœmi-  
neum tam merdosis verbis aspergere? Mulier est  
auxilium viri, id est, veluti alter ipse, accommo-  
dum ipsi adiutorium, quæ cum ipso semper con-  
uerfetur, quæ non vbi conceperit, marem deserat,  
quod bestiaæ plæræq; faciunt, sed quæ vnà cum ipso  
regat domum & totam familiam. Id declarat  $\text{יְהוָה}$   
Chenegdo. Igitur Chaldæus interpretatur susten-  
taculum, quod sit penes virum, haud illud quidem  
vanum, sed verum, certum ac solidum. Non enim  
hîc similitudinis nota est Caph litera, sed confir-  
mationis & indubitatae definitionis,  $\beta\epsilon\beta\alpha\iota\acute{\omega}\sigma\epsilon\omega\varsigma$  καὶ  
 $\alpha\acute{\nu}\alpha\mu\phi\iota\sigma\beta\eta\tau\acute{\eta}\tau\alpha$  διελισμῶ. Inepta itaque & in DEVM  
B condi-



10  
conditorem contumeliosa est collatio instrumentorum brutorum cum natura humana sexus foeminei. Nam etiam Dialectici docent, marem & foeminam esse duas causas essentialiter ordinatas ad hominis procreationem.

D I S P U T A T.

*Non vir propter mulierem, sed mulier propter virum facta.*

S. G E D I C C V S.

Ex ipsa tamen viri substantia. Est enim <sup>ἡ</sup>Ἰσχα, Vira, itaq; etiam vera homo.

D I S P U T A T.

*Ille tantum est homo, qui ad imaginem DEI est conditus.*

S. G E D I C C V S.

Sunt & mulieres cohæredes gratiæ cœlestis, inquit Petrus.

D I S P U T A T.

*Vir est imago & gloria DEI, Mulier gloria viri.*

S. G E D I C C V S.

Ex verbis Mosis de formatione mulieris in gratiam viri instituta colligit Paulus, mulierem esse gloriam viri, ideoq; non conuenire illi, vt capite nudato oret in Ecclesia DEI. Vir, inquiens, non debet velare caput suum, quoniam imago & gloria DEI est, Mulier verò gloria viri. Non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro, &c. Argumentum subiectionis & humilitatis præscribitur hac in re mulieribus, quam non in coetu tantum velamine capitis, sed & domi debita obedientia erga maritos suos ostendere debent. Virorum tamen etiam est reputare, quid ipsi vicissim debeant coniugibus.



bus. Mutua enim est vtriusque sexus obligatio.

D I S P U T A T.

*Vnus tantum homo peccauit. Ergo Adam tantum homo est.*

S. G E D I C C V S.

Apostolus sibiipſi non contrariatur, licet interdum per mulierem, interdum per Adamum peccatum venisse in mundum tradat. ἡ δὲ μὴ αὐτὴ τῆ ἐτέρας ἐναντία ἐστίν, vt præclare Iustinus Martyr scripsit de veritate Religionis christianæ. Vt igitur vir & mulier contra eundem D E V M peccauerunt, idem mandatum transgressi sunt, eiusdem Diaboli voluntatem perfecerunt, & eadem incendia cupiditatis habuerunt, Sic etiam vterq; homo est.

D I S P U T A T.

*Si duo homines peccassent, duo etiam CHRISTI fuissent necessarij.*

S. G E D I C C V S.

Abscede pone me Sathana. Scriptum est enim: Vnus est Mediator D E I & hominum, Homo CHRISTVS I E S V S, qui semetipsum dedit redemptionis precium pro OMNIBVS. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, nec pro nostris solum, sed etiam pro totius mundi, atq; ideo pro foemine quoq; sexus peccatis.

D I S P U T A T.

*Tu dominaberis, ait D E V S ad Adamum, omnibus bestijs, Ergo etiam mulieri bestia.*

S. G E D I C C V S.

Hic perfricabis frontem, si quid tamen tibi frontis est. Manifestum enim crimen falsi committis. Expressè inquit D O M I N V S de Adamo &

B 2

Eua:



12  
Eua: *Dominentur*. Nam in totam speciem beneficium fuit. Igitur utitur plurali numero <sup>וְיָרְדוּ</sup> *veijrdu*, & *dominentur* (vir & vxor cum posteris) in pisces maris, in volatilia coeli, in iumenta, & in uniuersam terram, atq; in omnia reptilia reptantia super terram.

D I S P U T A T.

*Cum vir & mulieri dominetur, quis nisi insanus eam hominem, & non potius bestiam credere potest?*

S. G E D I C C V S.

Non te bestiam, sed bestia multò deteriorem crediderim. Nam cum bestiae utriusque sexus suae speciei indiuiduum producant, nomen suae originis referens, tu prostituti pudoris scurra hanc facultatem à DEO concessam, hominum generi prorsus adimere conaris. Etsi maritus est mulieris caput, tamen imperio suo nequaquam abutatur ad tyrannidem. Nam & iumentum animam agnoscit iustus, teste sapientissimo Salomone, viscera autem impiorum crudelia sunt.

D I S P U T A T.

*Homo non est communis generis, sed tantum Masculini. Igitur feminae non sunt homines.*

S. G E D I C C V S.

Vel sola illa Seruij Sulpitij vox de Tullia Ciceronis filia contrarium abundè testatur. Sic enim inquit: Paucis post annis tamen ei moriendum fuit, quoniam HOMO NATA fuerat. Nec video quomodo hæc autoritas in dubium vocari queat. Nam omnium gentium & populorum assensu mulieres semper homines dictæ & habitæ sunt.

D I S-



D I S P U T A T.

*Homo deriuatur ab humo, quia ex humo conditus est. Ergo mulier non est homo.*

S. G E D I C C V S.

Apud Hebræos & latinos homo ab humo, ex qua ortus est, & in quam reuertetur nomen habet. Licet enim non pulueris, sed hominis (id est, carnis & sanguinis) imaginem præ se ferat, tamen reipsa in se nihil est nisi lutum & puluis, iuxta illud: Puluis es, & in puluerem reuerteris. Item puluis reuertitur in terram, & spiritus ad DEVM qui dedit illum. Etsi igitur Eua ex costa Adami desumpta extructa est in mulierem, nihilominus tamen cum sit os ex ossibus, & caro ex carne, adeoque pars corporis Adami, commutatur ipsa quoque homo in puluerem seu humum, vt cotidiana experientia testatur seu potius clamitat.

D I S P U T A T.

*Electi seduci non possunt. Cum autem Eua fuerit seducta, manifestum fit, eam nec electam, nec hominem esse.*

S. G E D I C C V S.

Seducuntur, si fieri possit, etiam electi, inquit CHRISTVS, Incutiendi timoris causa, quò magis sollicitè intenti simus ad cauendum peccata & errores. Piè enim vtì debemus salutis nostræ firmitate, in gratuita electione DEI locata. Adam fuit seductus, sed vxoris opera, ideoque merito hac quoque ratione viro sit subiecta. Hæc enim intentio est Apostoli, quando dicit: Non Adamum sed Euam fuisse seductam: Et Syrac. Principium peccati à muliere esse. Hinc verò nequaquam sequi-



74  
tur, mulierem nec vas electum, nec ad DEI imaginem hominem conditam fuisse. Nam & Iohannes Dominam, ad quam scribit, ELECTAM nuncupat. Et Syracides singulis foeminis DEVM timentibus hoc elogium tribuit. Atque dulcissime DOMINVS ipse inquit: Ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filias.

D I S P U T A T.

*Chananaea CHRISTVS ne verbo quidem respondit. Ergo ad mulieres non pertinet.*

S. G E D I C C V S.

Noua afflictio aequè effrons. CHRISTO enim tacendi consilium non fuit, vt mulierem auersaretur, aut fidem eius extingueret, sed potius vt acueret pietatis studium, & accenderet feruorem.

D I S P U T A T.

*Nullus virorum unquam sic exceptus.*

S. G E D I C C V S.

Immò DOMINVS suæ gloriæ studio & nostro bono sæpè conuiet ad sanctas virorum & mulierum preces. Hinc etenim illud: Quousque DOMINE? Surge, quare dormis?

D I S P U T A T.

*Saluator vocitat mulieres non homines sed canes, non filios sed catellos.*

S. G E D I C C V S.

At enim viri quoque vocantur canes. Circumdederunt me canes, inquit Filius DEI. Cauete canes, ait Paulus de Pseudoapostolis. Petrus ex libro prouerbiorum meminit canum ad vomitum suum redeuntium. Achilles vituperans Agamemnonē tribuit ei caninam naturam epulas amantem,



tem, *ἄρσύνδρον*, audacem & temerariam in lacef-  
fendo, non in dimicando fortem. Ergo viri non  
sunt homines. Egregia ratio. Non foemineus dun-  
taxat, sed sexus etiam masculinus indignus est  
DEI beneficijs. Sic enim olim Patriarcha Iacob,  
Minor, inquit, sum cunctis miserationibus tuis,  
omniq̄ue fide, quam præstitisti seruo tuo :

*Sum tibi CHRISTE canis, sed ius canis expeto micam,  
Quæ cadit è mensa diuite CHRISTE tua.*

D I S P U T A T.

*Mulieres corporis tantum, non animæ salutem  
impetrant. Fides enim tua te saluam fecit, ait CHRIS-  
TUS laboranti sanguinis profluvio, & Magdalena  
demonijs obsessa.*

S. G E D I C C V S.

Sententia pronunciata à CHRISTO ad vtram-  
que mulierem memorabilis planè indicat, Tunc  
demonum fieri salutare DEI æterni donum, cum no-  
bis applicatur. Applicatio autem est fidei donum.  
Salutis igitur efficiens est Fides in ijs quibus salus  
contingit, sanitatem accipiens, quæ offertur af-  
fentiendo obediendoq̄ue absque dubitatione &  
hæsitatione verbo DEI. Et gratia fauoreq̄ue DEI  
illud bonum nostrum efficitur, estq̄ue hoc opus  
illud DEI, quod operari in Euangelio Iohannis  
Iudæi perhibentur. Atque CHRISTUS laborantes  
refocillans, & in potestatem Diaboli redactos sa-  
nans, ostendit se missum à patre, vt in eò vno vter-  
que sexus remedium in quibusuis malis, nec non  
remissionem peccatorum, vitam & salutem æter-  
nam habeat. Ita nimirum *ἡ πίστις σε σέσωκέ σε.*

D I S P U -



D I S P U T A T.

16  
*Mulieres non habent veram seu viuam fidem,  
 sed historicam seu demonum.*

S. G E D I C C V S.

Anna, secundum descriptionem Lucae, omni exceptione maior testis, contrarium testatur. Nam *ἀπομολογῆται*, vera viuaque fide & confessione consentiente cum ijs scilicet, quæ à viro Simeone dicta fuerant, celebravit Dominum, & ad excipiendum exhibitum MESSIAM omnes inuitavit. Hancine, Dæmon, fidem Dæmonum perhibebis? Fulmine potius quàm calamo refutandus es, quod fidem Chananæ à CHRISTO tantopere collaudatam scribis esse eam fidem quæ sit Diabolorum, qui & ipsi credant & contremiscant. Nec viri nec foeminae ab initio mundi aliunde salutem adeptæ sunt, quàm ex vera & viuâ fide in CHRISTVM. Hodie quoque sexus foemineus, & quicumque tandem DEO probatur, amplectitur beneficia seruatoris in gratuitae misericordiae diuinæ fide, iuxta *ἀξιώματα* Theologica; Quicquid non est ex fide, peccatum est. Fieri non potest, vt sine fide quisquam DEO placeat.

D I S P U T A T.

*Apostolus mulieri omnem adimit fidem scribens;  
 Mulierem saluari non per fidem, sed per generationem.*

S. G E D I C C V S.

Non impedire, affirmat Paulus, subiectionem, quo minus & ipsæ mulieres perinde vt viri salutem consequantur, si sese in coniugalibus illis oneribus cum fide & charitate sanctas & modestas præbuerint. Igitur inquit, Seruabitur tamen mulier, liberos



ros gignendo, si manserit in fide ac dilectione, & sanctificatione, cum moderatione. Nulla autem vera virtus est sine fide, ait Augustinus de Ciuitate DEI.

D I S P U T A T.

*Obstupescati sunt Apostoli, cum CHRISTVS cum muliere loqueretur: Quod profecto non caret mysterio.*

S. G E D I C C V S.

Mirati sunt discipuli, inquit Iohannes, quod CHRISTVS cum Samaritana verba commutaret. Nullus enim vsus erat necessitudinis Iudæis cum Samaritanis, vt ibidem rationem reddit Euangelista.

D I S P U T A T.

*Mulieres non Christus, sed fides earum saluauit, quemadmodum fides & spes agri erga medicum & medicinam plus interdum efficit, quam ipsa cum medico medicina.*

S. G E D I C C V S.

Malè habentes egent medico, & fiduciam concipientes sanantur, vt CHRISTVS in Euangelio Matthæi affirmat. Fides iustificans & saluans non nititur nostra dignitate, aut meritis, sed solo CHRISTO propitiatore. Est enim vnicum apprehendendæ eius gratiæ instrumentum. Hinc Apostolus ex tota scriptura testatur, nos, cum in nobis iusti & salui non simus, in CHRISTO, qui est iustitia & salus nostra, per fidem apprehenso, iustificari ac saluari. Et sic quoq; spe salui facti sumus, vt idem inquit Paulus.

D I S P U T A T.

*Mulieres non sunt ex posteris Adami, Ergo nec*

C

homi-



178  
homines. Quis eas genuerit, nusquam extat, unde originem traxerint est incertum, unde venerint, dubitatur.

S. G E D I C C V S.

Perinde vt olim Iudæi de CHRISTO: Hic unde sit, nescimus. Heus te fanaticæ Spiritus (non enim ausim hominem dicere, qui homine matre non sit editus in lucem, sed ex seropha fortassis) etsi posteritas Adami potissimum refertur ad viros, *τύλοι γὰρ δόμων παῖδες ἄρσενες*, tamen sexus foemineus non excluditur, vt de origine eius dubitare nefas sit. DEI genus omnes sumus. Condidit DEVS ex vno sanguine (cognitione seu origine) omne genus hominum, vt habitarent per vniuersam superficiem terræ. Omnis qui ex mero homine nascitur, merus homo est, Sexus muliebris ex mero homine nascitur, Igitur merus homo est. Non est in tua, Diabole, potestate & arbitrio, cui velis humanam naturam donare, & cui velis adimere. Sophista fallaciam committis ex Elencho, qui est à diuisione contractorum, veluti cum sic quis luderet: Tu non es, quod ego sum, Ego sum homo, Ergo tu non es homo.

D I S P V T A T.

*Væ pregnantibus & mamma nutrientibus. Si ergo illis debet esse væ, quomodo saluentur?*

S. G E D I C C V S.

Egregia ratio. Nam & viris væ dixit CHRISTUS aliquoties. Igitur nullus virorum saluabitur? Indicat DOMINVS miseriores conditionem & difficiliore res in excidio futuras cum gestantium in vtero foetum, tum lactantium, itemque eorum, quo-



quorum fuga in parum idonea tempora incidat.

D I S P U T A T.

*Mulieres non peccant, Ergo nulla illis peccatorum remissione opus est, & per consequens sunt exautoranda è censu hominum, quibus cotidie peccata remittenda sunt.*

S. G E D I C C V S.

19  
Nullo scripturæ testimonio probare potes, mulieres nec peccare, nec peccatorum dimissione indigere. Quin potius καθολικόν est illud: Pro hac ( remissione peccatorum ) orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Et verissimè Augustinus, Sancti, inquit, seriò & in sua persona orant, Dimitte nobis debita nostra. Anathema sit contra sentiens, & fictionem hac in parte sanctis tribuens. Falsissima propositio est, quæ aliud enunciat de subiecto, quàm quod res ipsa est, veluti, Homo est in hac vita sine peccato. Remittuntur ei ( peccatrici ) peccata multa, quoniam dilexit multum, id est, ait Theophylactus, declaravit copiosè fidem suam, qua per & propter CHRISTVM remissionem peccatorum vterq; sexus apud DEVM impetrat. Et Basilius in concione de Baptismo, Multum debenti multum dimittitur, vt magis abundè ille diligat. Declaravit igitur mulier officijs summi amoris, quantum beneficium accepisset, cum, vt CHRISTVS testatur, remissa illi essent vitæ prioris peccata.

D I S P U T A T.

*Mulier in origine non peccavit. Igitur nec hodie peccat. Nondum enim creata erat, cum DEVS præceptum de arbore daret.*

C 2

S. G E-



20

S. G E D I C C V S.

Inciuile est non totam sententiam perspicere, sed vnã tantum eius partem allegare, vt alicui imponas. Nam ex colloquio Eua cum serpente intelligitur, non tantum mari, sed etiam foeminae constitisse de voluntate DEI. Expressè enim inquit Eua: E' fructu arborum huius horti comedemus. At de fructu arboris istius quæ est in medio horti, dixit DEVS, ne comedatis.

D I S P V T A T.

*Quid opus fuisset dubitationis particula Fortè, si Eua certò sciuisset sibi esum pomi à DEO prohibitum fuisse?*

S. G E D I C C V S.

Igitur cœpit mulier labascere. Substituit enim voci certitudinis dubitandi particulam, & simplicissimam comminationem DEI per particulam dubitandi (ne fortè moriamini) effert. Quare natus occasionem Sathan iam apertius DEVM calumniatus est, vt hominis fiduciam in DEI bonitatem euerteret, & hominem hoc astu ad inobedientiam impelleret.

D I S P V T A T.

*Originale peccatum non à matre, sed à patre contrahimus.*

S. G E D I C C V S.

Originis peccatum nobiscum ex vtero materno afferimus, vtpote ex ipsa natura arreptum, haustum. Sic enim Dauid conqueritur: Ecce in iniquitate natus sum, & in peccato fouit me mater mea, id est, iniquitatis & peccati reus sum in vtero formatus & fatus. Igitur Targhum interpretatur: **Ecce**



27  
Ecce in iniquitatibus cogitauit pater generare me,  
& in peccato fomitis prauis incaluit de me mater  
mea. Etsi coniugium per se est sanctum vitæ ge-  
nus, à DEO ipso ordinatum, tamen quia coniuges  
sunt iam inde ex lapsu primorum parentum pec-  
catores, fit vt & in congressu maris & foeminæ con-  
currat peccatum, & vtriusque coniugis semen sit  
peccato infectum, ideoq; generamur omnes pec-  
catores. Hinc ἔμφυτος κακία, & ἀπεισάτω ἀμαρ-  
τία.

D I S P U T A T.

*Lex omnem masculinum circumcidi iussit, foeminas  
autem incircumcisas manere, peccatum videlicet Ori-  
ginis in eo sexu, qui peccasset solummodo, puniendum  
statuens.*

S. G E D I C C V S.

Masculi solum fuere circumcisi, quia foeminæ  
signaculi huius capaces non erant, nihilominus ta-  
men etiam incorporatæ fuerunt. Quod autem hæc  
pars corporis circumcidi debuit, ostendit natu-  
ram ex traduce prorsus esse corruptam, vt ex viri  
& mulieris commixtione nemo purus nasci possit,  
adeo graue Adæ & Euæ peccatum.

D I S P U T A T.

*Peccata mulierum, si quæ sunt, nihil differunt à  
brutorum peccatis.*

S. G E D I C C V S.

Audi brute, quid sit discriminis inter tua &  
brutorum peccata. Homo, inquit Dauid, in ex-  
cellentia (honore & dignitate) & non intelligit,  
similis factus est iumentis, quæ intereunt. Chry-  
sostomus homilia duodecima in Genesin: Homo



mansuetum animal, & rationale & benignum, contraria suæ naturæ facit, & negligentia mores suos in ferinos vertit. Idcirco & diuina scriptura propter affectiones illas interturbantes, ab irrationalibus & à feris agnominaciones, his qui ratione insigniti sunt, imponit. Interdum canes ob impudentiam & impetum vocat, interdum ob libidinem equos, interdum asinos ob stupiditatem, & ruditatem, interdum leones & pardos ob rapacitatem & habendi auiditatem: Aliquando aspides ob fraudulentiam. Idem homilia vigesima tertia ad populum Antiochenum: Vnde quæso poterote fidelem agnoscere, dictis omnibus contraria protestantibus? Quid verò fidelem dico? Nec enim es Homo (arrige aures Sycophanta) si manifestè possum videre. Cum namque tanquam asinus recalcitres, lasciuias autem vt taurus, tanquam equus verò post mulieres hinnias, ventri tanquam vrsus indulgeas, & vt mulus carnem impingues, & malum memoria teneas velut camelus, porrò rapias quidem vt lupo, ac vt serpens irascaris, ferias vt scorpius, sis subdolos vt vulpes, nequitia verò tanquam aspis, & vipera venenum serues. Quomodo te cum hominibus connumerare valeam, talis in te naturæ signa cum non intuear? Sed & foris erunt in vltimo die canes & venefici, & scortatores, & homicidæ, & idololatræ, & quisquis amat ac committit mendacium, vt est in Apocalypsi Iohannis. Id quod simul tibi dictum esto.

D I S P U T A T.

*In dolore parere non est pœna peccati, siquidem omnia*





*omnia animalia irrationalia in dolore pariunt, quæ nihil unquam peccauerunt.*

S. G E D I C C V S.

Difficultas in gestatione & partu foetus, nec non in tota educatione filiorum, plena periculi & morborum multiplicium, verè poena ac fructus peccati est. Non enim euenissent ista mala, nisi Eua Diabolo dicto audiens fuisset. Nam conceptio nulla foeditate contaminata, partusque nullo periculo & dolore, & educatio nullo labore molesto processisset. Sed defectio à D E O hæc mala protulit, adeo vt multæ foeminae in partu miserè extinguantur. Quin & ipsa animalia irrationalia difficultati partus subiecta sunt, idq; propter hominem siue hominis culpâ, sicut & tota terra maledicta, & omnis creatura vnà suspirat, & parturit summo cum dolore vsque ad hoc tempus, vt testatur electum D E I organum in Epistola ad Romanos perscripta.

D I S P U T A T.

*In scripturis inuenimus, mulieribus malè facientibus semper benedici, easq; propterea laudari, quod malefecerunt.*

S. G E D I C C V S.

Hem profunditates Sathanæ! Nam vt fenestram aperias peccatis, adimere conaris infirmiori sexui omnem metum iudicij & poenarum, quæ iustissimo ordine iustitiæ D E I scelera comitantur. At scias D E O inuisam esse omnem improbitatem, vt Psaltes inquit, Non D E V S volens iniquitatem tu es. Nonne Casbi filia Tzuris principis Midianitarum transfixa est propter scortationem? Nonne Ize-



24  
ne Izebela Achabi regis coniunx, foemina impia,  
de fenestra deturbata, conculcata ab equis, & de-  
uorata à canibus fuit? Nonne Sapphira ob frau-  
dem interuersi precij exanimis corruit?

D I S P U T A T.

*Excusantur ab incestu patris filiae Loth.*

S. G E D I C C V S.

Spiritus sanctus grauissimè inuehitur in hoc  
sceleris genus in utroque foedere. Est enim ince-  
stus contra ipsum naturæ sensum. Tradit autem  
Rabbi Moses Hadarschan in suo Perusch, filias Lo-  
thi non maliciâ aliquâ incestam habuisse consuetu-  
dinem cum patre, sed cupiditate seminis benedicti.  
Existimarunt enim bonæ sorores, alium hominem  
præter patrem in mundo non existere. Summa,  
hoc facinus probandum non est.

D I S P U T A T.

*Non excusatur temulentus pater, & successio eius  
eijcitur ab Ecclesia DEI.*

S. G E D I C C V S.

Monent nos lapsus sanctorum de ingenti no-  
stræ naturæ infirmitate, & de emendanda securita-  
te, ac deponenda fiducia nostri, & petenda atque  
expectanda gubernatione diuina.

D I S P U T A T.

*Laudatur Rebecca, quod per fraudem obtinuit Ia-  
cobo benedictionem patris. Laudatur Rahel, quæ pa-  
trem suum pulchra adinventione delusit.*

S. G E D I C C V S.

Aliud est celare, quod scis, neque patefacere:  
aliud est mentiri. Illud sæpe licet, & faciendum  
est, Hoc verò nunquam, ait Augustinus libro de  
men-



25  
mendacio ad Consentium. Neque fallere semper est criminis, sed fallebat etiam ille, qui amici ægro- tantis cervicali clam supposuit aurum, & fallit amicus, qui inexpectatus obrepit. Certè S. Rebecca sententiam DEI de primogenituræ priuile- gio, quod diuinitus assignandum erat filio natu minori lucidius intellexit, quàm Isaac. Et S. Ra- chel idola aurea patris secum auexit, vt hoc ipso facto testaretur, se improbare cultum idolorum, & nolle ea à patre Labano coli, nec ipsa coluit, sed aurum in viaticum contulit, quod iure ciuili & na- turali à patre sordido ipsi debebatur. Sic Irene fi- lia Imperatoris Licinij statuas aureas in sacello pa- tris destruxit. Talia sunt opera liberi & ardentis Spiritus, DEO placentia propter confessionem, quæ est anima talium operum.

DISPUTAT.

*Excusatur incestuosa Thamar, & dicitur iustior patriarcha Iuda, & fraudulento incestu meretur pro- pagare lineam Saluatoris.*

S. GEDICCVS.

Negari non potest, per eam peccatum esse in DEI præceptum, institutionemq; matrimonij vio- latam. Etsi enim solo prolis suscipiendæ animo cum Iuda concubuit, tamen non eo modo, quo li- cet, id fecit. In Genealogia CHRISTI plures im- pij habentur, quàm pij, & in ipsis pietate conspi- cuis tamen plura fermè sunt reprehensione digna, quàm laude, taceo expressè flagitiosa. Fidus est enim hic sermo, & modis omnibus dignus, quem amplectamur, CHRISTVM IESVM venisse in mun- dum, peccatores saluos facere.

D

DISPV-



D I S P U T A T.

26  
*Rahab meretrix decepit eos, qui querebant exploratores Iosua, & reputatum est illi ad iustitiam.*

S. G E D I C C V S.

Rahab dicitur fide, non autem deceptione aut mendacio salva facta esse. Credidit enim verbis & promissionibus D E I, quas exploratores explicuerunt. Dicitur meretrix, si quis ex eo putet saluam factam, fallitur; ita neque ex eo quod mentita est, D E O probata est. Obstetrices Ægyptiæ, quæ sunt pro gravidis Iudæorum mulieribus mentitæ, dicuntur à D E O benedictæ. David Michalis coniugis suæ astu & operâ ereptus est. Saulis consilium de interficiendo Dauide à Ionathane reiectum. Hufai salutare Dauidi consilium, astu suggestit Absoloni. Et apud Theodoritum laudatur Flauiani Antiocheni Episcopi mendacium, quod Eulichitarum & Messalianorum hæresin deprehendit & detexit simulatione & mendacio. Idem scribitur in Tripartita & historia Nicephoriana. Parallogismus est è causa pro non causa. Nam zelum & charitatem Dominus probauit, benedixitque, mendacium ipsum non item.

D I S P U T A T.

*Egressa est Iahel in occursum Sisara, dixitque ad eum, intra ad me Domine mi, ac petenti aquam dedit bibere de utre lactis, & operuit illum iacentem. Dormiente autem Sisara, percussit clauum in caput eius, & interfecit illum, qui se fide illius crediderat seruandum: Atque pro hac insigni prodicione, benedicta, inquit scriptura, inter mulieres Iahel, benedicatur in tabernaculo suo.*

S. G E-



S. G E D I C C V S.

Iahel Dei spiritu acta est, vt Psaltes testatur; Fac istis vt Midianitis, vt Sisara. Itaq; extra lineas & regulas est illud factum peculiare, quod temerè imitandum non est. Nam & Moses occidit Ægyptium, quippe magistratus à Deo electus, quanquam neq; palam, neq; publicè adhuc notum erat. Ita enim soluit Stephanus in libro Actorum Apostolicorum. Et Phinees quicquid gessit, Mo- sis, id est, Magistratus autoritate gessit & execu- tus est, dum spiculo transfixit scortatores.

D I S P V T A T.

*Quid Judith? Nonne scriptum? Blanditijs Holo- fernum percussit, & abscidit caput eius, hanc tamen be- nedicit, laudat & extollit scriptura; & longè reputa- tur melior iniquitas mulieris, quàm vir benefaciens.*

S. G E D I C C V S.

Heroica facta in sacris literis supra & extra re- gulam sunt. Fuit impetus Iudith haud dubiè diu- nus, & hunc finem prospexit, vt salua & florens es- set Ecclesia. Nobis verò non exemplis, sed legi- bus viuendum.

D I S P V T A T.

*Sic CHRISTVS absoluit mulierem in adulterio deprehensam, & puniri non permisit.*

S. G E D I C C V S.

CHRISTVS noluit ciuilis Magistratus par- tes ad se trahere, contentus ad fidem & resipiscen- tiam peccatores adducere. Igitur vsus est ministe- rio spirituali aduersus hypocritas. Hinc præclarè Augustinus in Psalmum quinquagesimum com- mentans inquit: Remansit adultera & Dominus,

D 2 reman-



28

remansit vulnerata & MEDICVS, remansit magna  
miseria & magna MISERICORDIA, adducentes  
erubuerunt, nec veniam petiuerunt, adducta con-  
fusa est & sanata. Cum autem, Nasute, ex his col-  
ligas, adulteria non esse peccata, nec punienda,  
non minus es ineptus, quàm si diceres, diuiden-  
das non esse hæreditates, quoniam CHRISTVS NO-  
luit diuidere. Quod verò mulierum æquè vt vi-  
rorum adulteria DEO sint inuisa, ostendit poena  
corporalis, diuina Lege expressa, mors. Legibus  
quoq; Atheniensium atque etiam eorum omnium  
populorum, qui rectè senserunt. Nabuchodono-  
for, vt scripsit Hieremias, adulteros in sartagine  
frixit. Poena adulterij spiritualis est mors æterna,  
vti omnis scortationis, teste Apostolo.

D I S P U T A T.

*Et legibus Imperatorum cauetur, ne mulier in  
adulterio deprehensa capite plectatur.*

S. G E D I C C V S.

Lege Constantini morte punitur adulterium,  
l. Quamuis. C. Ad l. Iul. de adulter. Vxores ad-  
ulteræ eadem sunt poena, qua viri, puniendæ, vt  
est in constitutionibus Imperij Elect. & Principum.

D I S P U T A T.

*Quid queso sunt hæc omnia, quàm aperta indicia:  
mulierum peccata reuera non esse peccata?*

S. G E D I C C V S.

Peccata semper sunt ἀνομίαι, siue à Fœminino  
sexu designentur, seu à Masculino. Nam, vt Iohan-  
nes inquit, ἡ ἀμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία. Quod autem DE-  
VS nonnulla conuertit in bonum, τὸ τὸ ἀφ' αὐτῶν δὴ  
νάμειος αὐτῶν, ait Chrysostronus.

D I S-





D I S P U T A T.

*Quare & conuiuia assidentes ceperunt mirari,  
quando foemina peccata remitteret CHRISTVS, cum  
nulla habeat.*

S. G E D I C C V S.

Peccata non tantum foeminis, sed etiam viris  
remitti à CHRISTO iniquè tulerunt Pharisei. Iu-  
dicarunt enim esse blasphemiam, vt testantur Eu-  
angelica scripta.

D I S P U T A T.

*Nec Magdalena laborabat propter remittenda  
peccata, sed propter pellendos Diabolos.*

S. G E D I C C V S.

Peccata sunt nostrarum afflictionum, & ipsius  
etiam obsessionis causæ, & ab vno CHRISTO cre-  
dentibus remittuntur. Antequam crederemus  
DEO, domicilium corruptibile & fragile cordis  
nostri verè erat templum, manu factum, plenum  
idolatria, & domus Dæmonum, inquit Barnabas  
apud Clementem Alexandrinum. Quod autem  
non omnes corporaliter occupare potest Diabo-  
lus, fit ne desperemus, nec omnibus etiam parcere  
finitur, ne nobis blandiamur. In CHRISTO verò  
reddimur terribiles leonibus infernalibus. Vide-  
bimus, aiebat Philippus rex Galliaë, si potentior  
erit Dæmon ad perdendum, quàm IESVS ad fal-  
uandum. Nulla noccebit aduersitas, si nulla domi-  
netur iniquitas.

D I S P U T A T.

*Addo quod solos Apostolos viros docuerit CHRI-  
STVS orare Pater noster; Iis ergò solis incumbit dicere,  
Remitte nobis debita nostra, non mulieribus.*

D 3

S. GE-



S. G E D I C C V S.

30  
Merum hoc est commentum. Nam orationem, quæ est *πρεπόντων αἰτησις*, teste Damasceno, præscripsit DOMINVS toti suæ Ecclesiæ ex utroq; sexu constanti. Igitur non tantum viri, sed etiam foeminae cotidie orant, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Nec aliam coenam instituit viris, aliam foeminis, licet primæ institutioni tantum Apostoli interfuerint.

D I S P U T A T.

CHRISTVS dixit, *Sinite pueros ad me venire, tale est regnum caelorum, puerorum scilicet, & non puellarum. Ideoq; & Apostoli prohibuerunt matribus ad CHRISTVM portare infantes, quod ibi immixta erant puella, nihil ad eum pertinentes.*

S. G E D I C C V S.

CHRISTVS pro bonitate sua non tantum parentes, sed etiam eorum liberos utriusq; sexus in foedere comprehendit, ac proinde ipsis benedicit. Est enim *παιδιον* (quo nomine Euangelistæ utuntur) ὁ ἡ τῆθῆ τρέφει, quem nutrix alit, filiulus vel filiola, ut *παις* utriusq; generis est. *βρεφει* autem declarat τὸ ἄφθῆ γερονός, quod modo natum est, siue sit filiulus seu filiola, infans. Ecce, dicit DOMINVS per prophetam Esaiam, leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum, & afferent filios tuos in vnis, & FILIAS tuas super humeros portabunt. Filij tui de longè venient, & FRILIAE tuæ de latere surgent. Et per Ioëlem: Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & FILIAE vestrae. Sed & super seruos meos, & ANCILLAS in diebus illis effundam



31  
fundam Spiritum meum. Quòd verò discipuli prohibuerunt, id non tantum puellarum, sed respectu etiam puellorum ab ipsis factum est. Ex errore enim iudicârunt, indignam esse illam ætatem, cui DOMINVS inferuaret, rebus grauioribus occupatus.

D I S P U T A T.

*Mulieres etiam ideo non sunt homines. Quia non resurgent. Sadducei querebant à CHRISTO, cuius ista uxor, qua septem uiris nupserat, futura esset in resurrectione mortuorum. Respondit, Erratis nescientes scripturas. Cur quæso errârunt? nempe quod mulieres resurrectiones stolidè putabant, nescientes scripturas.*

S. G E D I C C V S.

Atqui Sadducei nullam planè credebant resurrectionem mortuorum, tollebantq; pœnas ac præmium, vt Euangelistæ & Iosephus testantur. Multos etiam hodie reperias, qui omnem futuræ vitæ spem tollunt, & post carnis interitum homines vtriusq; sexus à brutis nihil differre autumant. Hunc, tu Epicure, furorem stabilire nunc moliris.

D I S P U T A T.

*In scripturis nihil de mulierum salute continetur.*

S. G E D I C C V S.

Mentiris. Pares enim sunt foeminæ christianæ viris in vitæ æternæ beneficio, iuxta dictum: Impartientes honorem vasculo muliebri ceu cohæredibus gratiæ vitæ, ne interrumpantur preces vestræ. Immò non dubitat Petrus docere, mulieres christianas sancta conuersatione posse viros suos (adhuc à fide alienos) etiam absq; sermone lucrifacere. Et Paulus consulit, ne fidelis soror dimit-

tat in-



32  
tat infidelem maritum: Quî namq; scis, inquit, mulier, an maritum sis seruatura? Nónne Maria soror Lazari optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea? Quid quod Samaritanæ mulieri ait **DOMINVS**: Si scires donum illud **DEI**, & quis sit qui dicit tibi, Da mihi potum, tu petijsses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam? Quam aquam viuam ipsemet de aquis in vitam æternam salientibus interpretatur. Nónne Paulus meminit Euodiæ aliarumq; foeminarum, quarum nomina inscripta sunt in libro vitæ? Nónne Maccabæa vnà cum septem filijs celeberrimo martyrio coronata se & charissima pignora in spem certam consecutionis vitæ æternæ erigit? Nonne Priscilla ceruicem suam pro vita Apostoli supponere voluit, spe freta vitæ sempiternæ? Nonne meretrices (resipiscentes) præbunt Pharisæis atq; adeo tibi in regnum cœlorum?

**D I S P U T A T.**

*In resurrectione nullum contrahent matrimonium. Cur non obsecro? Quia nulla mulier erit in cælo, sed erunt sicut Angeli **DEI**. Quales nunc sunt Angeli? Certè masculi omnes, non fœmina. Viri ergo soli ad cælum pertinent.*

**S. G E B I C C V S.**

**CHRISTI** verba sunt perspicua de vniuersali mortuorum resurrectione. Veniet enim, inquit, hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij hominis. Et prodibunt, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem condemnationis. Item, **DEVS** non est mortuorum, sed viuorum. Omnes enim viuunt ei. Vterque igitur sexus in cœlis erit,   
vbi



53  
vbi neq; nubent, neq; vxores ducent, neq; mori  
ultra poterunt, sed erunt *ισάγγελοι*, pares Angelis,  
haud quidem incorporei (ita enim non amplius  
essent homines) sed qui tanquam Angeli iam non  
ducant vxores, neq; nubant. Quando verò An-  
geli visibiles, & in corpore apparent, vti saepe pa-  
tribus, assumitur ista forma ad tempus, quantum  
eorum congruit actioni & mandato illis à DEO  
imperato exequendo, vt Augustinus loquitur.

D I S P U T A T.

CHRISTVS *ad propriam matrem dixit: Mulier  
quid mihi tecum? Si ergo cum matre, quæ illum genuit,  
illi nihil est, multo minus cum alijs mulieribus.*

S. G E D I C C V S.

Verba CHRISTI agnosco, sed collectionem,  
quæ nulla prorsus ratione, imò ne iusta quidem  
coniectura nititur, nego. Non enim ideo obiur-  
gavit Mariam, quasi sexum muliebrem auersaretur,  
sed docuit nos, grauissimum esse peccatum, DEO  
præire siue præscribere aliquid velle, quod etiam  
ex Petri reprehensione asperrima liquet. Deinde  
à carnali matris suæ respectu ad contemplandam  
in futuro miraculo DEI gloriam conuiuas reuo-  
cavit. Quamobrem etiam mulieri acclamanti; Bea-  
ta viscera quæ suxisti: respondit, Imò beati, qui au-  
diunt verbum Dei, & custodiunt illud. Quò etiam  
spectant, quæ scribuntur Lucae 2. & Matth. 12. cap.  
Taceo quod occurrere voluit horrendis Papista-  
rum superstitionibus, quibus Mariam eò vsq; eue-  
xerunt, vt publicè illi accinerent: Roga patrem, iu-  
be natum, & iure matris impera.

E

D I S P U -



D I S P U T A T.

39  
*Sed video quid hinc obijcient, CHRISTVM appellari filium hominis, esse autem Mariae filium, Mariam ergo fuisse hominem.*

S. G E D I C C V S.

Verè constrictus & conuictus es hoc argumento. Nam filius hominis  $\omega\epsilon\lambda\iota\psi$  est hominis verè nati in hisce terris. Et ita se appellare solet Immanuel colloquens in Euangelicis scriptis cum alijs. Et frequentatur hæc periphrasis in prophetia Ezechielis. Vt autem Maria semper virgo homo vera fuit, ita omnis sexus foemineus veram habet naturam humanam, quam tu impudenter ac friuolè impugnare conaris.

D I S P U T A T.

*Concedamus autem illis hoc argumentum, & dicamus Mariam fuisse hominem, verum non naturâ, sed gratiâ.*

S. G E D I C C V S.

Nil iuuat te, quod  $\omega\epsilon\lambda\iota\psi$  quadam præoccupas, quod obijci poterat, dicendo, Mariam singulari gratia & priuilegio hominem dici. Vnde enim hoc probabis? Ergo nobis naturâ hominibus non erit consubstantialis Immanuel, qui est  $\omega\mu\omega\sigma\iota$  æterno patri? Quæ tandem erit certitudo promissionum diuinarum de MESSIA nascituro ex semine Abrahæ, si Maria ex numero hominum sit exauthoranda, vel saltem ex gratiâ homo fuerit? Quomodo gloriari poterimus, Filium DEI esse carnem de carne & os ex ossibus nostris? Quid fiet dulcissimo vaticinio Iacobi patriarchæ; Non auferretur sceptrum de Iuda, neq; Legislator è medio pedum



35  
pedum eius, donec veniat Schilo, secundæ eius, filius eius, hoc est, CHRISTVS, vt Chaldæa paraphrasis vtraq; & Hebræi interpretes vnanimiter consentiunt? Et quî constabit pronuntiati Apostolici veritas, CHRISTVM participem factum carnis ac sanguinis perinde vt reliquos infantes, qui in utero materno concepti in lucem eduntur, si specie non conueniunt gignens ac genitum?

D I S P V T A T.

*Angelus dixit, Ave Maria, gratiâ plena, benedicta inter mulieres. Cur benedicta? quia illa fuit homo, alia non.*

S. G E D I C C V S.

Quod semel assumit, subinde inculcat & exaggerat, quasi quod per se vanum est, sæpius asseuerando fiat verum. Verum enimuero vbi fundamentum totius dictionis inane est ac friuolum, quò magis oratione tumultueris, hoc magis perdis aquam & operam. Neq; enim hîc licet in causa seria, quod in fictis etiam controuersijs fieri solitum reprehendit Quintilianus, vt quis suo arbitratu fingat. Maria non ideo dicitur gratiæ & fauoris plena, benedicta q; inter mulieres, quasi sola homo fuerit, aliæ non item; Nequaquam. Sed quia Θεοτόκος. Inde enim beatam me prædicabunt omnes ætates, vt ipsa in cantico suo interpretatur.

D I S P V T A T.

*Maria iure dici potest homo, quia peperit absq; viro. Pariant hodierna mulieres etiam absq; viris, & libenter eas homines nominabimus.*

S. G E D I C C V S.

Error est ex accidente, quod veræ hominis essentia



36  
sentia & definitionis loco substituitur & induci-  
tur. Parere enim cum vel sine viro non constituit  
hominem, quemadmodum nec foecundum, nec  
sterilem esse. Est enim solum rei accidens, quod  
pro vera eius natura ponitur & sumitur. Recepta  
& omnium Philosophorum calculis approbata  
hominis definitio ostendit, mulieres esse homines.

D I S P U T A T.

*Si mater ipsius non beata est, quæ illum portavit,  
quomodo alia mulieres debent saluari? Nam mulieri  
exclamanti: Beatus venter, qui te portavit, respondit,  
Quin imò beati, qui audiunt sermonem DEI, & custo-  
diunt illum.*

S. G E D I C C V S.

Quo tandem animo gloriosissimæ Virgini  
Deiparæ beatitudinem coelestem derogas? Cor-  
rigit CHRISTVS sermonem mulieris, & docet  
vtrunq; sexum coelestis vitæ & æternæ beatitudi-  
nis fieri participem, fide amplectendo verbum de  
gratuita DEI in MEDIATORE adoptione. Et te-  
nenda est copula, quod primo audire, deinde &  
seruare verbum DEI oporteat. Nam fides est ex  
auditu, vt Apostolus testatur. Quo etiam referenda  
sunt quæ scribuntur in Euangelio Matthæi: Quæ  
est mater mea, & qui sunt fratres mei? Quisquis  
fecerit voluntatem patris mei, qui in coelis est, is  
est meus frater, & soror, & mater.

D I S P U T A T.

*Tegitur illud quod est sordidum. Cum autem mu-  
lieres capita perpetuo tegere ex precepto diuino cogan-  
tur, necesse est eas coram DEO esse sordidas, & non sal-  
uan-*



uandas, quia nihil conquinatum & sordidum intrabit  
in regnum cælorum.

S. G E D I C C V S.

Sic nec viri ingrediemur in cœlum. Quid enim purus esset natus muliere? inquit Hiobus. Et Esaias, Sumus vt immundus omnes nos, & sicut panniculus remotionum omnes iustitiæ nostræ. Hæc verò aduersus vxores seu matrimonium torquere, quid est aliud quàm doctrinam Dæmoniorum manifestè proponere, vt olim fecit Syritius & Innocentius, qui impuras & impias voces effuderunt, quæ nunc quoq; tam multos inficiunt. Viros autem docet sic eminere Apostolus, vt interea cogitent, solos se non esse conditos à Domino, sed etiam fœminas, easq; æquè saluandas.

D I S P V T A T.

*Viuentes mortue dicuntur fœmina, si paululum voluptatibus indulserint.*

S. G E D I C C V S.

Etiã viri morientur in peccatis suis, nisi gratiæ tempore resipiscant, iuxta illud, Moriemini in peccatis vestris, si secundum carnem vixeritis moriemini. Pietatem certè & continentiam non magis apud te tuiq; similes inuenero, quàm Reipublicæ Platoniciæ ideam: An vnquam Sodoma & Gomorra vsq; adeo coram Domino DEO exercituum fœtuit, atq; obscœnissima vestra non hominum, sed porcorum colluies, dicam an ipsius Sathanæ proluies? Tanto futuro in vos grauiore DEI iudicio, nisi recto tandem pede incedatis.

D I S P V T A T.

*Paulus inquit, Non est Iudæus, neq; Græcus, non est ser-*

E 3

est ser-



38  
*est seruus, neq; liber, non est masculus ac foemina, Nam  
vos idem estis in CHRISTO, mulierem non facit homi-  
nem.*

S. G E D I C C V S.

Quid ni? Non enim de pecudibus sed homi-  
nibus loquitur, & quidem credentibus, qui sunt  
vnus in CHRISTO, id est, semen illud Abrahæ pro-  
missum, ac vitæ æternæ hæres. Quid est quasi ex  
industriâ verbum DEI peruertere, si hoc non est?  
Quid clarius dici poterat ab Apostolo, quàm nul-  
lam prorsus in regno CHRISTI haberi rationem  
diuersitatis, siue nationis, siue conditionis, siue se-  
xus, sed ad baptizatos & credentes omnes, mas-  
culos & foeminas, pertinere beneficium adopti-  
onis?

D I S P V T A T.

*Foemina in CHRISTO vnum esse volentes foemi-  
neum sexum exuisse debebant, vt fiant homines, quod  
cum facere non possunt, manifestò apparet, quàm pa-  
rum ad CHRISTVM pertineant.*

S. G E D I C C V S.

Hoc est scilicet rem acu tangere. Non foemi-  
neum sexum sed veterem Adamū exuere Christi-  
ani debent. Veterem autem hominem vocat Pau-  
lus vniuersam hominis naturam, ita vt cum iniqui-  
tate conceptus est & in hanc lucem editus. Vtri-  
que sexui necessaria est veteris hominis (prauitatis  
nobis ingenitæ) depositio, & noui hominis (puri-  
tatis nobis per gratiam in CHRISTO collatæ) in-  
stauratio.

D I S P V T A T.

*Mulieres non possunt esse vnum in CHRISTO.  
Nam*



Nam & CHRISTVS & Apostoli praeceperunt, ut is qui  
vult esse perfectus, & vitam aeternam ingredi, uxorem  
relinquat.

S. G E D I C C V S.

Quis pudor, imò quæ inscitia est hoc torquere  
aduersus cubile nuptiarum impollutum? Stat enim  
illud firmum, Sublato coniugio tolli honestam  
omnem propagandi humani generis propagatio-  
nem, quod nemo nisi naturæ ipsius hostis & alter  
Timon *μισάνθρωπος* & facere cogitârit. Perfectio  
Christiana non consistit in cœlibatu vel matrimo-  
nio, sed in fide & bona conscientia sine hypocrisi  
& simulatione. Scimus enim nos omnes siue Vir-  
gines seu Maritos in eo perfectos esse, qui factus  
est nobis à DEO patre Sapientia, Iustitia, Sanctifi-  
catio, & Redemptio, ut qui gloriatur, in Domino  
glorietur. Docet autem CHRISTVS, uxorem,  
liberos, patrem, matrem, fratres, sorores, domos,  
agros, atque adeo omnia esse gloriæ DEI postpo-  
nenda. Et Paulus, Qui habent uxores, sint ut non  
habentes, & qui flent tanquam non flentes, & qui  
gaudent tanquam non gaudentes, & qui emunt  
tanquam non possidentes, & qui vtuntur hoc  
mundo, tanquam non vtantur: Præterit enim spe-  
cies huius mundi. Hinc Chrysostronus in Episto-  
lam ad Hebræos inquit: Quomodo honorabiles  
sunt nuptiæ, si nos tantopere impediunt? Si qui  
impediti sunt ex nuptijs, sciant, quod non nu-  
ptiæ illis impedimento fuerunt, sed voluntas  
quæ malè vtitur nuptijs. Nam neque vinum fa-  
cit ebrietatem, sed mala voluntas, & moderati-  
onis excessus. Vtere cum moderatione nuptijs,  
& P R I



40  
& PRIMVS ERIS IN REGNO, & omnibus fruëris bonis.

D I S P U T A T.

*Laudant præterea Eunuchos, qui se castrauerunt ob regnum cælorum, mulieres non attingentes.*

S. G E D I C C V S.

Regnum cælorum non est positum per se in cœlibatu, aut coniugio. Nam siue cœlebs fueris seu maritus, nihil certè propterea fueris DEO commendabilior. Neq; coniugium neq; cœlibatus te seruabit. Regnum enim DEI non est, neque hoc neq; illud, vt neq; esca, neq; potus, sed iustitia & pax & gaudium in Spiritu sancto. Origenem, quum in plærifq; fuerit impurissimus, & adeo etiam insanierit, vt seipsum castrârit, non est, cur in hac causa pro iudice admittamus. Iuge sacrificium, inquit, (preces intelligens, quibus ceu clauis aperimus regnum cælorum, omniaq; bona impetramus) non nisi à virgine aut à cœlibe præstari potest. Vbi verò hoc comperit? Quid enim olim factum esset Aharoni? quid alijs pontificibus? quid Petro coniugato? quid alijs Apostolis vxores circumducentibus? Eiusdem farinae est, quod Hieronymus vir alioqui magnus in hæc etiam verba erupit: Si semper orandum est, vt iubet Apostolus, nunquam ergo coniugio seruiendum, Quoniam quotiescunq; vxori debitum reddo, orare non possum. Vtri credemus obsecro, tibine, qui mariti cum vxore congressum pollutum esse existimas, an Spiritui sancto nuptias *τιμίαις*, & thorum matrimonij *ἀπικαντων*, in omnibus pronuncianti? Requiris alicuius Synodi auctoritatem (Nicæna Synodus ex Paphnu-



Paphnutij cœlibis sententiâ iudicat vniuscuiusque  
cum vxore sua congressum esse σωφροσύνη καλῶ.  
Requiris patrum auctoritatem? Augustinus tibi ex  
professo contradicens ita in Iouinianum scribit:  
Decus est coniugale, castitas, procreandi & red-  
dendi carnalis debiti fides, hoc est opus nuptia-  
rum, hoc ab omni crimine defendit Apostolus.  
Multi autem seipfos castrant, id est, à coniugio ab-  
stinent, & continentiam seruant ex DEI dono.

D I S P U T A T.

CHRISTVS etiam uxorem non duxit.

S. G E D I C C V S.

Non omnia quæ fecit CHRISTVS nobis ad  
imitationem proponuntur. Nam alioqui nobis  
esset omnibus ex virgine nascendum, idque in sta-  
bulo, & quadraginta perpetuis diebus ieiunan-  
dum, & crux in carne verè ac reipsa subeunda: quæ  
omnia, vt & alia eiusmodi, quis ita insanit, vt à  
nobis exigat? Multa enim in CHRISTO personalia  
fuerunt, id est, ipsius personæ ac muneris propria.  
Quod autem CHRISTVS fuit prorsus ἀγαπῶ, si ad  
singulos Christianos pertineret, quorsum ipse te-  
staretur, non omnes posse hoc verbum capere? Cur  
ad primam matrimonij institutionem nos reuoca-  
ret, Mosis verba expendens, Masculum & fœmi-  
nam creauit? Cur denique præsentiam suam nuptias  
honoraret?

D I S P U T A T.

Apostoli ductas reiecerunt.

S. G E D I C C V S.

Apostolos testantur veteres in coniugio vi-  
xisse, nec vnquam ductas reiecisse. An non habe-  
mus



42  
mus potestatem, inquit Paulus, sororem vxorem circumducendi, sicut & ceteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? Negat quidem Hieronymus, probari posse alium præter Petrum fuisse inter Apostolos coniugatum. Atqui vt de Clemente & Ignatio, ipsoq; adeo Ambrosio taceam, non temerè Paulus addidit Cephæ & fratribus Domini, ceteros etiam Apostolos. Nec fuit dilectus Iohannes præ ceteris, quia virgo, sed ideo virgo, quia dilectus ab eo, qui dona sua distribuit vnicuiq; sicut vult. Dilexit Iohannem peculiari affectu Dominus pro sua misericordia, nec eius amoris causa in Iohanne, sed in ipso diligente quærenda est. Porro tantum abest, vt Apostoli coniugij vinculum dissoluerint, vt potius admonuerint coniuges, pacificè colendum esse matrimonium etiam cum infideli, vt si fieri possit, lucrifiat.

D I S P U T A T.

*Apostoli alijs suaserunt, vt manerent sicut illi, addentes eum demum verè CHRISTO placiturum, qui se matrimonio non copulauerit. Item, bonum esse non tangere mulierem.*

S. G E D I C C V S.

Verba Pauli, Velim omnes esse, vt ego sum, non sunt præcipientis, sed optantis, idq; non simpliciter (quid enim hoc aliud esset quàm humani generis internecionem optare?) sed suorum temporum, atq; adeo Ecclesiasticæ potius vocationis habita ratione. Qui Paulum volunt fuisse maritum, in quorum numero sunt Clemens & Ignatius, teste quoq; Eusebio, istud referunt ad vxoris circumductionem, vt sit hic sensus: Quod dixi non nisi ad



43  
nisi ad breue aliquod tempus & extraordinarium  
precum causâ marito ab vxore abstinendum, ne  
accipite vt simpliciter mandatum. Nam contra  
optârim, si fieri posset, omnibus datum esse, vt et-  
iam perinde vt mihi seponere ipsis suas vxores li-  
ceret, vt eò liberius & expeditius ministerium su-  
um obirent, hoc præsertim seculo. Præcipitur Ie-  
remiæ, ne vxorem capiat, sed additur, in loco isto,  
& causa exprimitur, quoniam videlicet vltima va-  
stitas à Domino imminebat. Sic Paulus inquit:  
Existimo hoc (virginem manere) bonum esse, pro-  
pter instantem necessitatem. Igitur Hieronymus  
(quem hic ineptè sequeris) locum Pauli, Bonum  
est homini mulierem non tangere, torfit, vt matri-  
monij coniunctionem à Spiritu sancto toties com-  
probatam, in his numeraret, quæ per se mala sunt  
ac vitiosa; Si bonum, inquit, est mulierem non  
tangere, malum est ergo tangere, Nihil enim bono  
contrarium est, nisi malum. Quid audio? An con-  
iugium, quod est DEI donum, malum est? Absit.  
Nam contradicentia tum sese mutuo expellunt,  
cum eidem subiecto simul eodemq; respectu tri-  
buuntur, verbi gratiâ, Bonum est ieiunare. An  
ideo simpliciter malum erit cibum capere? Bonum  
est vigilare; An ideo simpliciter malum est dormi-  
re? Minimè profectò. Sed si cuiquam bonum est  
ieiunium aut vigilia, eidem profectò malum est eo  
tempore, eademq; ratione cibum capere vel dor-  
mire, & contrâ. Idem quoq; de nuptijs & coelibatu  
statuendum est. Bonum igitur non opponit Apo-  
stolus ei, quod sit vitiosum & DEI voluntati re-  
pugnans, sed declarat id, quod commodum est,  
F 2 corum



49

eorum tantum habitam ratione, in quos collatum est continentiam donum. Mox enim precipit, ut quisquis videtur, uxorem suam habeat, & affirmat eum benefacere, qui nuptui tradit virginem suam, & alibi vult iuniores viduas nubere. Licet enim etiam nubenti gratias agere DEO, & qui uxorem duxit in coniugio curare, quae sunt Domini, (ut recte scribit Clemens) quantumvis cum molestis. Pij enim coniuges non ita sunt addicti mundanis, ut rerum diuinarum cogitationem prorsus abijciant, quin potius perpetua habent exercitia fidei, inuocationis, patientiam, spei. Si cui vero datum est, ut se possit continere in coelibatu, illi bonum est mulierem non tangere. Nam qui potest capere capiat, inquit CHRISTVS. Sed nunc profecto causa non est, cur tantum tribuatur coelibatui, impuritate manifestam & notam foeditate; cum multo adhuc seueriore disciplinam in Ecclesiam coniugium maturandum & frequentandum esse scripserit castissimus vir Ignatius, cuius a Graecis Theologis haec sententia refertur: παρθεϊας ζυγόν μηδενὶ ἴπιλλθη. Ἐπισφαλές γὰρ τὸ κτήμα καὶ δυσφύλακτον, ὅταν καὶ ἀνάγκη γῆ). Τοῖς νεωτέροις ἴπιτρῆπε γαμεῖν, πρὶν ἀφθαρῶσιν εἰς ἰταίρας.

D I S P U T A T.

*Mulier cum peperit gaudet, quod homo natus est in mundum, sed nata filia non latatur. Quia mulier monstrum in natura, teste Aristotele, vel, ut Plato ait, magis animal irrationale, quam rationale. Igitur & Paulus tradit, Mulierem per generationem filiorum saluari, non filiarum.*

S. GE-





S. G E D I C C V S.

45  
Immò, noue disputator, tu monstrum es in natura, mente carens. Non enim ausim hominem dicere, qui homine matre non es editus in lucem. Loco Iohannis allegato habetur *παῖδον*, significans filiolum seu filiolum (vt Henricus Stephanus vir eruditissimus testatur in thesauro Græcæ linguæ) vtrunq; DEI donum. Quod ad Paulum attinet, filiorum ac filiarum generationis expressè meminit, inquit, Saluari mulierem *ἀλλὰ τὸ τεκνογονίας*, liberos gignendo, si manserit in fide, ac charitate, & sanctificatione cum modestia.

D I S P U T A T.

*Mulieres non resurgent, Ergo non sunt homines. Non mortua fuit puella, sed tantum graui oppressa somno, affirmante Domino. Quid verba CHRISTI aliud innuunt, quàm si mortua fuisset, iam eam non resurrecturam. Dormiebat ergo tantum CHRISTI testimonio puella, nec adhuc mortua erat, quare non mirum eam surrexisse.*

S. G E D I C C V S.

Ex hoc unguiculo cognoscimus leonem. Ex numero enim es *ἐμπαικτῶν*, quos Petrus extremis temporibus venturos prædixit, qui DEI contemtu & sacrilegâ audaciâ volunt ingeniosi apparere. Nónne ipse circumstantiâ docent, vanissime scurra, verè mortuam fuisse puellam, siquidem non adhibebantur tibicines, nisi morte compertâ, cum scilicet exequias iam pararent, teste Iosepho libro tertio captæ Iudææ? Quod autem ait I E S V S, non esse mortuam puellam, sed dormire, cum verè esset illa mortua, *εἰς τὴν εἰρήνην* quædam est confutans opinionem



atque praesentium, qui reuocari illam ad vitam posse negabant. Deinde Hebraei mortem somnum molliore vocabulo indicare solent, inde coemiterium, id est, dormitorium, ubi corpora resurrectionem expectantia quiescunt, tantisper quum adueniat **DOMINVS**.

**D I S P U T A T.**

*Seruus quoque ad Iairum veniens, & significans filiam ipsius mortuam esse, addidit, ne vexes Magistrum, quod hanc ob causam dixit, quia sciebat puellis vel feminis semel mortuis frustra CHRISTI auxilium implorari, cum nec in nouissimo die sint resurrectura.*

**S. G E D I C C V S.**

Licet pio affectu seruus id fecerit, concurrat tamen tacita Sathanæ suggestio. Voluit enim impedire gloriam CHRISTI, fructumque tanti miraculi, inuidit vitæ puellæ, & pijs parentibus augere luctum maluit, quàm quicquam inde demere. Est autem petitio principij, inde concludere mulieres nec homines esse, nec resurrecturas.

**D I S P U T A T.**

*Ideo CHRISTVS ibidem praecepit omnibus, ne dicerent quod factum erat, ne forte mulieres hinc exemplum capientes resurrectionem etiam ad se pertinere existimarent, è contra cum adolescentem suscitauit, non prohibuit, sed exijt hic rumor in vniuersam Iudeam, & in omnem finitimam regionem.*

**S. G E D I C C V S.**

CHRISTVS est à vanâ gloriâ alienissimus. Igitur illam vbique amolitur. Deinde res talis erat, quæ præcone non indigebat, satis seipsam commendatura. Demum cauet parentibus, ne periclitentur.



47

clitentur illo nomine. Non enim erat tutum, etiam  
apertissima miracula commendare, apud Pharisa-  
os. Quod autem in altero miraculo non prohibu-  
erit publicationem, factum potissimum est, Iohan-  
nis discipulorum hæsitatione. Et nondum enim  
satis instructi erant, & æmulatione quadam male-  
bant præceptorem suum in tanta authoritate pu-  
blicè versari. Ideoq; quasi dolentes ei referūt, vnde  
sequentis legationis pendet occasio, quâ Iohannes  
è carcere incredulos suos discipulos confirman-  
dos ad CHRISTVM ipsum ablegavit. Certissima igitur  
vtriusq; sexus hominum resurrectio, & fiducia  
Christianorum est resurrectio mortuorum.

D I S P U T A T.

*Legimus de beato Germano Episcopo, cum insigni  
miraculo asinum è mortuis excitasse. Ut autem nemo  
inde ratiocinari potest, asinos resurrecturos, nisi & ipse  
sit asinus, sic nec ex hac puella & reliquis valebit argu-  
mentum.*

S. G E D I C C V S.

Asino Æsopico conatus malè cessere. Caue tu  
Asine, ne aliquando sepeliaris sepultura asini, vt  
propheta minatur, seu, vt Cicero loquitur, insepul-  
tâ sepulturâ, & à bestijs auibusq; lacereris, cum ad-  
eo in vanum assumas nomen Domini D E I tui vi-  
uentis. Agnoscit bos possessorem suum, & asinus  
præsepe Domini sui, Tu verò, Asine bipes, non  
agnoscis scripturas, neque reuereris potestatem  
D E I, quæ mortuorum resurrectione & vltimo iu-  
dicio declarabitur. An putas Asine, asinum tuum  
argumentum alicuius esse valoris, quemadmodum  
olim asini caput fuit octogenum siclorum argen-  
ti? Fall-



48  
ti? Falleris, ad carnificem eiusmodi caput. CHRIS-  
TUS resurrexit à mortuis, inquit Paulus, & primi-  
tiæ factus est. Necessè est, vt primitiarum & totius  
cumuli eadem sit ratio. At CHRISTUS iam mortis  
est victor, Ergo & nos oportet esse mortis victo-  
res, ac proinde resurgere. Præterita confirmant  
fidem futurorum, Excitata est Iairi filia, excitata  
est Tabitha & aliæ quamplurimæ foeminae. Ergo  
omnes resurgent in ultimo die. Sicut enim in Adam  
omnes moriuntur, ita & in CHRISTO omnes viui-  
ficabuntur, fideles quidem ad vitam immortalem,  
infideles verò in perpetuas tenebras ac pœnas,  
quæ vocantur mors æterna.

D I S P U T A T.

*Caput CHRISTI est DEVS, sicut vir caput muli-  
eris. Mulier ergo hac ratione non erit homo, quod ca-  
put eius sit homo.*

S. G E D I C C V S.

Etsi mulieris caput est vir, hoc est, viro subijci-  
tur mulier ex DEI ordinatione, non tamen negan-  
dum est, eam esse hominem. Nam ita commendat  
præminentiam viri Apostolus, vt suum quoq; se-  
xui infirmiori honorem asserat: quemadmodum  
olim Clemens Alexandrinus, Epiphanius *κατὰ τῶν  
Αποστολικῶν*, Augustinus deniq; aduersus Hierony-  
mum ita laudârunt virginitatem, vt suam quoque  
nuptijs dignitatem vindicarent.

D I S P U T A T.

*Corpus DOMINI nunquam mulieribus datum,  
propterea quod hoc corpus pro ijs non sit passum, nec ad  
eas pertineat.*

S. G E-



S. G E D I C C V S.

49  
Ut Fœmineus sexus baptizatur, quemadmodum docet exemplum Samaritanarum, Lydiae, Stephanæ familiæ & aliarum: Ita etiam admittitur ad usum sacræ coenæ, secundum institutionem Dominicam, quamprimum homo probare se potest. Nam in eo quod longè maximum est, id est, in vitæ æternæ beneficio, viris pares sunt fœminæ, quæ in domestico contubernio sunt impares. Igitur minimè aspernandæ. CHRISTVS eas quoq; redemit non argento vel auro, sed precioso suo sanguine, & sanctæ mulieres sperant in DEO, inquit Petrus.

D I S P V T A T.

*Papistæ campanas & templa baptizant, An ea propterea sunt homines?*

S. G E D I C C V S.

Apage verò crassam & putidam hanc sacri baptismi prophanationem. Et prodigiosa effrenataq; Diaboli audacia est, baptismum ab Apostolis mulieribus administratum conferre cum baptismo campanarum, nihiloq; meliorem esse contendere.

D I S P V T A T.

CHRISTVS dicit, *Qui (non quæ) crediderit, & baptizatus (non baptizata) fuerit, saluus (non salua) erit. Nec articulus, Qui, est generis communis, ut & fœmininum genus complectatur.*

S. G E D I C C V S.

Nónne cauillator expressum est Domini mandatum de utroq; sexu, Docete omnes gentes, & baptizate, prædicate Euangelium toti rerum creaturarum vniuersitati, quod certè est vniuersum genus humanum? Nónne Apostolus, Quicumq;, inquit,  
G IN CHRI-



50  
in CHRISTO baptizati estis CHRISTVM induistis,  
Non est Iudæus, neq; Græcus, non est seruus, neq;  
liber, non est Masculus ac Fœmina? Nonne legisti  
in Actis Apostolorum, Cum credidissent Philippo  
euangelizanti de regno DEI, in nomine IESV  
CHRISTI baptizabantur tum viri, tum mulieres?  
Item, Cum baptizata esset Lydia & domus eius,  
rogauit nos dicens, Si iudicatis me fidelem esse  
Domino, ingressi domum meam manete.

D I S P U T A T.

*Baptismus successit circumcisioni. Quomodo ergo  
mulieres baptizari possunt, cum circumcisa non fuerint?*

S. G E D I C C V S.

Vide quò te prouehat contentionis feruor.  
Res circumcisionis & substantia foederis pertine-  
bat etiam ad fœmineum sexum, iuxta illud, Ero  
DEVS tuus, & feminis tui post te. Deinde cordis  
circumcisio vtriq; conueniebat, quò illa externa  
referri debuit. Carnis circumcisio vni tantum sexui  
(quoniam alter illius capax non erat) mandata fu-  
it. At baptismi capax esse vterq; potest. Quis igitur  
non videat plumbeum illud medium? Singulare  
est, & tamen non erubescis elicere vniuersalem  
conclusionem: Quin sic etiam colligas: Pesach tan-  
tùm semel in anno celebrabatur, Ergo cœna Do-  
mini, quæ ei successit, non est aliquoties celebra-  
da à nobis in anno.

D I S P U T A T.

*Nulla mulier in nomine Patris, Filij, & Spiritus  
sancti legitur baptizata. Illegitimus ergo crit baptismus.*

S. G E D I C C V S.

Apostoli dicuntur nonnunquam baptizasse in  
nomine



51  
nomen CHRISTI, non quod vel tantillum immutarent, cum etiam ex totâ Ecclesiasticâ historiâ constet, formulam illam perpetuò obseruatam fuisse, sed vt ipsum finem, ipsum fructum, ipsam deniq; rem Baptismi declararent. Legitimus igitur Baptismus vtriq; sexui administratur.

D I S P U T A T.

*Sicut per indulgentiam circumcisionem permisit Paulus Christianis, quod tamen CHRISTVS non preceperat: Sic & baptismum initio mulieribus vitiosè.*

S. G E D I C C V S.

Tunc sanctissimis DEI seruis Apostolis quasi litem moues, & dicam scribis, quod baptizarunt mulieres? Blaspheme Sycophanta, sunt ne contra præceptum CHRISTI vitiosè baptizatae? Circumcisus est Timotheus, vt infirmi ac rudes Iudæi non offenderentur. Sed Titus non est circumcisus, ne quid fieret in gratiam falsorum fratrum, quos Paulus canes & concisionem vocat, & excindi etiam optat, idq; eo ipso tempore quo Hierosolymam venerat vt eam in libertatem assereret. Quid autem hoc ad baptismum mulierum negandum? Baptisma non est adiaphoron. Quo citius nostros siue filiolos seu filiolas baptizandas obtulerimus, eò re-ctius fecerimus, ne hoc beneficio, si fieri possit, priuentur.

D I S P U T A T.

*Ideo Apostolus agit gratias DEO, quod non baptizavit, & addit, se non esse missum ad baptizandum.*

S. G E D I C C V S.

Id non esse ἀπλῶς aut præcisè intelligendum, sed comparatè, apparet ex eo, quod addit, se baptizaf-



52

ptizasse Stephanæ familiam, quod nunquam nisi ex vocatione fecisset. Ait igitur Paulus se missum, vt præcipuè incumberet plantandis Euangelij prædicatione Ecclesijs, in quibus pastores constituebat, à quibus potius singuli credentes baptizarentur. Quod hodie plerisq; in locis Diaconi faciunt.

D I S P U T A T.

*Non exemplis sed legibus est iudicandum. Igitur exempla baptizatarum nullius sunt valoris.*

S. G E D I C C V S.

Quando exempla vel non congruunt ad vniuersalem regulam, vel non habent similem rationem, non gignunt firmas consequentias, vt non sequitur; Abraham rectè fecit volens mactare filium. Ergò Agamemnon rectè fecit volens mactare Iphigeniam filiam. Sed hîc in doctrina de baptismo res aliter se habet. Valet enim consequentia; Mulieres ab Apostolis & eorum successoribus sunt baptizatae, Ergo & hodie sexus fœmineus baptizandus est. Quia de similibus (id est, habentibus similem rationem & congruentibus ad vnam regulam vniuersalem) idem est iudicium.

D I S P U T A T.

*Neg, hoc probat, mulieres esse homines, & ad CHRISTVM pertinere, quod post resurrectionem suam ostendit se primo mulieribus. Non enim sequitur; CHRISTVS quamprimum nasceretur, ostendit sese in stabulo boui & asino, Ergo pecora ad CHRISTVM pertinent.*

S. G E D I C C V S.

Demonstra Asine, è scripturis sacris, CHRISTVM primum omnium se ostendisse boui & asino. Nam



53  
no. Nam in carne natus primum visus est à matre,  
& Iosepho, deinde pastoribus, Simeone, Anna,  
Magis, alijsq; hominibus. Excitatus ex mortuis  
primum omnium apparuit mulieribus. Quia vt per  
eas mors primum peruasit in genus humanum: Ita  
DOMINVS voluit eis primum ostendere restitutio-  
nem vitæ æternæ, & languidioribus prius opem  
fert *φιλαίθρωπ* DEVS, vt sciamus, eum humilia  
& imbecillia verè diligere, iuxta dulcissimum di-  
ctum, Calamum quassatum non franget.

D I S P U T A T.

CHRISTVS nullam aliam ob causam initio mulie-  
ribus apparuit, quàm vt eius resurrectio quamprimum  
& quam citiss. ubiq; diulgaretur. Cum enim mulie-  
res sint garrule, quæ illæ sciunt, statim nouit omnis ci-  
uitas.

S. G E D I C C V S.

Quid est quæso tam perditæ leuitatis, quod  
iste non impingat mulieribus? Diabolica est con-  
tumelia, qua à filijs huius mundi infamatur sexus  
fœmineus, quasi non possit habere domitam lin-  
guam aut orationem suam. Sed ô si quis inderet  
sexui quoq; masculino ad os custodiam, & ad la-  
bium sigillum solers, vt non corrueret repente ab  
illo, neq; ipsum perderet lingua. Nam si in sexu in-  
firmo mulierum tantopere insectatur Apostolus  
vitia, nimirum in viris quoq; prorsus intolerabilia  
& execranda esse iudicandum est.

D I S P U T A T.

Accedit quod mulier neq; iure diuino neq; huma-  
no possit testari. Non ergo potuit CHRISTVS eas resur-  
rectio-



54

rektionis sua habere testes, cum testimonium earum sit  
inualidum.

S. G E D I C C V S.

CHRISTVS ipse post resurrectionem vitur te-  
stimonio mulierum ad Apostolos, quorum incre-  
dulitatem postea exprobrauit, quod illis reliquis-  
que testibus non credidissent. Præceptum DEI in  
Decalogo: Non dicas contra proximum tuum  
falsum testimonium, concernit vtrunq; sexum. Et  
quanquam Paulus λοιδορῶν & ψόβων & ἰπτορῶν  
masculino genere damnet, tamen foeminas æquè  
comprehendit. Vbi de fide, doctrinaq; Christiana  
agitur, testimonium veritati perhibendum est ab  
omnibus hominibus. Veritatem DEI metu huius  
vitæ celantibus, apertissimè denunciatur condem-  
natio à filio DEI. Væ timidis, inquit Spiritus DEI.  
Et quando quis authoritate iudicis interpellatur,  
certè debet, teneturq; testimonium dicere eorum,  
quæ scit, vidit, audiuitq;, neq; recusare potest, sal-  
uo conscientia iure. Est enim pulcherrimum Au-  
gustini dictum, ad Casulanum: Vterq; reus est, &  
qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit,  
quia & ille prodesse non vult, & ille nocere desi-  
derat. Etsi autem in contrahendis rebus negoci-  
isq;, in foro, in iudicijs laus muliebris non conspi-  
citur ( ab his enim sexus pudor resilit ) integritatis  
tamen æquitatisque exempla sunt præclara. Hinc  
Encomia Spiritus sancti: Inueniens vxorem, inue-  
niet bonum, & hauriet voluptatem à Domino.  
Domus & diuitiæ sunt legitima hæreditas paren-  
tum, à DOMINO autem prudens vxor. Mulier pro-  
ba bona est portio, & datur tanquam portio eo-  
rum,



55  
rum, qui timent DOMINUM. Gratiofa mulier delectat virum suum, & ossa ipsius pinguia reddit scientia ipsius. Donum DOMINI est mulier taciturna & beneuola, neque est precium vllum dignum anima erudita. Gratia est cumulata, mulier pudica & fidelis, & non est vllum pondus æquale animæ continenti ipsius. Qui parat vxorem, is constituit principium fortunarum, auxiliatricem secundum se, & columnam requietis.

D I S P U T A T.

*Ideo Thomas reliquis discipulis credere noluit, CHRISTVM à mortuis resurrexisse, quod mulieres saltem illis hoc dixerant, imò & alij Apostoli mulieres delirare putabant.*

S. G E D I C C V S.

Non tantum Magdalena cum reliquis mulieribus, sed Petrus etiam atq; Iohannes primi fuerunt resurrectionis Dominicæ testes. Quid igitur nugâris, mulieres saltem annunciâsse? Nónne ipsi Apostoli inculcârunt Thomæ, Vidimus Dominum? Et licet illis verba mulierum initio visa sint quasi deliramenta, non tamen homines esse negârunt, quia nimirum non habebant oculos γωαννης, qui animum induxit nihil non calumniari in sexu muliebri, & hinc sibi laudem sperat maximam.

D I S P U T A T.

*Propria mater filium noscere non potuit, sed putavit eum esse hortulanum, imò cum postea agnosceret, prohibuit CHRISTVS ne eum tangeret. Hinc apparet, quomodo CHRISTVS feminas sua resurrectione honorauerit.*

S. G E



56

S. G E D I C C V S.

Qua cogitatione Mariam hanc fuisse I E S U matrem scripsisti? Nusquam enim id apud Euan- gelistam inuenias, vt liquidò constet, te has & si- miles criminationes, ne inspectis quidem locis, impetu planè Diabolico effudisse. Nam in Euan- gelica resurrectionis C H R I S T I narratione ne quò quidem de matre, sed planè dicitur fuisse istam Mariam eam, cuius cognomentum est Magdalena: Et autor est Nicephorus Magdalenam ter ad se- pulchrum venisse, & bis D O M I N U M vidisse. No- luit autem eam hærere in suo complexu, sed exe- qui statim rem mandatam, & nunciare discipulis, qui suauissimo fratrum nomine appellantur, quæ vidisset & audisset. Magna igitur laus sexus muli- ebris.

D I S P U T A T.

*Clamant mulieres, Loquimur, habemus rationem, & animam rationalem. Ergo sumus homines. Sed ego nego hæc omnia. Nam & multa sunt aues, quæ lo- quuntur, & asinus Balaami locutus est, homo tamen non fuit.*

S. G E D I C C V S.

An non sunt hæc hominis ( si tamen hominis) intemperanter abutentis calamo, neq; quicquam habentis pensi, quid in elegantissimam D E I crea- turam scribat. Verissimè enim dicitur:

*Pulchrius in toto D E V S optimus ordine rerum*

*Plasmate fæmineo non fabricauit opus.*

Oratio nihil aliud certè est, nisi interpres intelli- gentiæ. Quid aliud esset homo, quàm bestia, si absq; vsu ac facultate orationis esset? Quid enim  
intelli-





57  
intelligeret, saperet, cogitaret, planè ignoraretur. Tu psittaci more de his tantis rebus loqueris, ut asina Balaami competentia sibi verba profata est, non tamen sua mente nec affectu suo locuta, sed Dominus linguam & palatum in verba gubernauit. Asina enim quid & quomodo diceret, & si aliquid diceret, omnino nesciebat, quoniam & homines, qui alieno inflati spiritu loquuntur (quemadmodum tu spiritu Satanico ageris) & adhuc cum loquuntur, quid dicant, nesciunt, & nihil ex eo recordantur, cum resipiscunt, ut loquitur Augustinus.

D I S P U T A T.

*Sine ratione loqui nihil aliud est quam non loqui. Mulieres autem loqui sine ratione inde apparet, quia iubet eas Apostolus tacere in Ecclesia. Si enim rationaliter loqui possent, cur deberent tacere?*

S. G E D I C C V S.

Verum hoc vniuersaliter intelligendum non est, sed locum habet tantum, ubi ritè constituta est, Ecclesiastica gubernatio. Nam alioqui tempore necessitatis non vetantur mulieres in publico coetu loqui. An non rationaliter, piè ac Christianè locutæ sunt Miriam, Debora, Hulda, Anna prophetissa, Priscilla, & aliæ complures his similes?

D I S P U T A T.

*Publica officia omnia mulieribus legibus interdicta sunt, nullam aliam ob rationem, quam quod rationem non habeant.*

S. G E D I C C V S.

A' publicis, de quibus loqueris, officijs, sexus pudor resilit.

H

D I S P U -



DISPUTAT.

58  
*Nec legimus vsquam DEVM mulieri inspirasse animam.*

S. GEDICCVS.

Inspirauit Adæ, ex cuius costa extracta est mulier homo in animam viuentem. Anima rationalis, (quæ est Spiritus intelligens, qui est altera pars substantiæ, nec extinguitur, cum à corpore discessit, sed immortalis est) æquè est in sexu muliebri ac virili. Et sicut in corpore humano sunt principalia membra, caput, pectus, venter, cerebrum, cor, epar: Ita tres sunt partes animæ vniuscuiusq; hominis,

1. λογική, quæ mentis & rationis est particeps.
2. θυμική, in qua irarum existit ardor.
3. ἡδονική, quæ voluptate alitur.

Redit puluis in terram, quemadmodum fuerat, & Spiritus redit ad DEVM, qui dederat illum, inquit Ecclesiastes.

DISPUTAT.

*Etiamsi mulieres rationem haberent, tamen hæc eas homines non efficeret, cum & Angeli & Diabolus animam rationalem habeant & loquantur, homines tamen non sint.*

S. GEDICCVS.

Quid tandem audio? Nondum tenes discrimen Angelorum & hominum? Angeli sunt Spiritus. Homines, vt masculus & fœmina, constant ex anima & corpore. Angelorum agmina simul sunt condita. In humanâ, propagatio est, naturâ. Angeli DEO obedientes sunt ἀαμάρτητοι nec possunt labi. Et DEVS non prædestinauit Angelicum vulnus.



59  
nus sanare. Homines in hac vita & possunt labi,  
& cotidie orant, Dimitte nobis debita nostra. Na-  
zianzenus eruditè discernit tria genera naturarum  
à DEO conditarum: Primum genus est spirituale, vt  
Angeli. Alterum est corporeum, vt coelum, qua-  
tuor Elementa, & ex his composita. Tertium est  
mixtum seu compositum ex utroque, videlicet spi-  
rituali & corporeo, vt Homo. DEVS condidit  
duo extrema genera, Spiritus & Corpora. His du-  
obus interiecit medium, id est, Hominem, qui  
constat ex spiritu seu anima & corpore.

D I S P U T A T.

*Nam & bestie habent talem animam, cum DE-  
VS nos ad eas remittat, vt rationem ab ijs discamus, di-  
cens: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut  
columba. Item, I piger ad formicam.*

S. G E D I C C V S.

Simulachra virtutum & viciorum sparsit DE-  
VS in animantia, vt nos ad virtutem inuitent, & à  
vicijs dehortentur. Porrò de serpentum & colum-  
barum dissimilis naturæ animantium comparatio-  
ne Gregorius Nassiumen in oratione de suo pa-  
tre ita: Serpentis prudentiam ad malum, columbæ  
sinceritati ad bonum admiscendo, neq; prudenti-  
am fuit malitiosam, neque simplicitatem fieri  
amentem, sed vnã virtutis formam, quam maxi-  
mè licuit, ex ambobus exquisitè constituit. Et de  
formica inquit Augustinus lib. contra Adimant.  
Quemadmodum illa æstate colligit, vnde in hie-  
me pascatur: Sic vnusquisq; Christianus in rerum  
tranquillitate, quam significat æstas, colligat ver-  
bum



60  
bum DEI, vt in aduersitate & tribulationibus, quæ hyemis nomine significantur, habeat, vnde spiritualiter viuat.

D I S P U T A T.

*Sed sola cognitio DEI facit hominem, quæ reliqua animantia carent. Hanc habent mulieres à viris communicatam. Nam scriptum est: Mulier si quid vult scire, à viro discat.*

S. G E D I C C V S.

Vera DEI agnitio est, qua DEVM agnoscimus in verbo & quidem prædicato, prout in Ecclesia constituit Dominus. Fides enim ex auditu est, auditus autem per verbum DEI. Quòd verò attinet ad locum Pauli, imperat mulieribus silentium in coetu publico, (extra necessitatis casum) & præcipit vt domi ex viris suis percontentur. Quo & illarum pudicitia atq; honori consulit, & coniugum concordiam fouet.

D I S P U T A T.

*Nec curo illud vltimum omnium mulierum effugium: Omne simile gignit sibi simile. Necessè ergo esse, vt mulier sit homo, quandoquidem hominem procreat. Non est hîc mater respicienda, quæ causa efficiens non est, sed tantum instrumentum.*

S. G E D I C C V S.

Apage tuum illud instrumentum. Nam ad procreationem sobolis mas & foemina essentialiter copulatae causæ sunt. Vt enim solus mas non gignit: Ita sola foemina non gignit. Hanc copulationem arctissimam, & (vt Dialectico more loquar) essentialem DEVS ordinavit & conseruat, quia



67  
quia vult genus humanum multis vinculis conso-  
ciatum esse, videlicet vinculo generationis, edu-  
cationis, institutionis, defensionis, & alijs innu-  
merabilibus. Ideo statim in Paradyso conditi sunt  
Mas & Foemina.

D I S P U T A T.

*Si filia nascitur, iam non simile, quia haec est mon-  
strum, cum natura semper tendat ad optima, & malit  
masculum procreari, quam foeminam.*

S. G E D I C C V S.

Increpet Iehoua te, Satan, increpet, inquam,  
te D O M I N V S. In Genesi scribitur: D E V S condi-  
dit hominem ad imaginem & similitudinem suam,  
masculum & foeminam creauit eos. Quo dicto si-  
gnificatur, non differre foeminam à viro specie (vt  
dixit Plato) sed eandem esse naturam vtriusque se-  
xus, & similia in vtroque sexu ornamenta. Foemi-  
na tam fuit imago D E I ante lapsum, quam Adam.  
Quod autem nunc sexus foemineus est imbecilli-  
or, id non referendum est ad primam creationem,  
sed ad poenam peccati.

D I S P U T A T.

*Nec mirum cum ex equo & mulo quoque nascitur  
asinus, ex stercore equino scarabaei, ex pinguedine pe-  
diculi, ita vt de simili simile saepe fallat.*

S. G E D I C C V S.

Tu nimirum, blaspheme Diabole, tertium  
quiddam existis inter hominem & spiritum, hy-  
bridæ similis, & infelix Satanæ partus, ex prodi-  
gioso coitu degener factus. Increpet D O M I N V S  
in te Satan, & sit spiritus tuus, qui te ad hoc ar-  
gumentum verbo D E I & omnibus bonis moribus




62  
ex Diametro contrarium tractandum instigavit,  
tecum & cum blasphemijs tuis in æternam, ui resi-  
piscas, perditionem, Amen.

Scriptum Halæ Saxonum, 10. Februarij, an-  
no Filij Dei nati, hominis veri, ex Maria virgine,  
homine vera, 1 5 9 5.

πάντοτε δόξα Θεῷ.













Gl 133

ULB Halle  
002 178 605

3



Sl.

Bl.

Kl.









DEFEN  
fexus mulie

OPPOSIT  
TILISSIMÆ D  
TIONI RECENS E  
suppresso authoris & typ  
blasphemè conte

Mulieres homine

SIMON GE  
Sacrosanctæ Theol.



Lipsiæ

IMPRIMEBAT  
LANTZENBE

No.



19  
1

